



REVERENDISSIMO
PATRI 14
CAJETANO
A LAURINO,
MINISTRO GENERALI
ORDINIS
SANCTI FRANCISCI

*Gallarum Jurisdictionis Commissarij Familiae
super Recollectos.*

PRO
RECOLLECTIS GALLIÆ.
CONTRA
REVERENDISSIMUM
COMMISSARIUM
GENERALEM FAMILIÆ.

RESTRICTVS, JVRIS, ET FACTI.

REVERENDISSIMO
PATRI
CAJETANO
A LAURINO
MINISTRO GENERALI
ORDINIS
SANCTI FRANCISCI

Calliarum Jurisdictionis Commissarii Familiae
Super Recollectos

PRO
RECOLLECTIS GALLIE
CONTRA
REVERENDISSIMUM
COMMISSARIUM
GENERALIEM FAMILIE
RESTRICTVS, VRIS, ET FACTI.

177

RESTRICTUS, JURIS, ET FACTI.

RME. PATER.

1. **P**Ræsentato P. V. Rmæ. supplici libello, *Summario num. 1.* ad hoc ut prohiberet Rmo. Patri Commissario Generali Familiæ, ne ullum jurisdictionis actum super Recollectos Galliæ exerceret; & respectivè eisdem Recollectis, ne ad eundem Commissarium recursum haberent, dignata est Sua Reverendissima Paternitas eundem ad dictum Reverendissimum Torre transmittere, ad hoc ut sua jura, rationesque produceret; prout reipsa fecit per Epistolam die 17. Novembris 1743. Matriti datam; *Sum. num. 2.* & licet idem Reverendissimus putet in hac Epistola, facillimo negotio ab omnibus favore Recollectorum expositis se expedire; putant tamen è contrario Recollecti Galliæ, speratque cum eis Fr. Marcus Antonius Gravois Diffinitor Generalis Ordinis, quod P. V. Reverendissima dignabitur eorum petitionibus benigniter annuere.

2. Constat siquidem Gregorium XIII. in sua Bulla: *Cum illius vicem: Summ. num. 3.* Auctoritate Apostolica statuisset, ac determinasse, ex Patribus de Observantia solum Ministrum Generalem in Reformatos, eorumque custodias *jurisdictionem exercere posse*: Et hoc, cum Clausula nullitatis eorum omnium, quæ in contrarium fieri possent; necnon sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrendæ ab iis omnibus, quicumque sint, qui aliquid in contrarium attentare ausi fuerint; revocando, favore dictorum Reformatorum, Bullam Leonis X. *Unionis* nuncupatam, & alias quas-cumque, quæ dictæ suæ Constitutionis executioni obstare potuissent. Constat pariter prefatam Gregorij XIII. Bullam ad Recollectos Galliæ fuisse extensam per Clementem VIII. in Bulla = *Pro injunctis nobis* = dat. 12. Octobris 1601., ac favore eorundem confirmatam fuisse à Paulo V. = *Onerosa Pastoralis officij* = 11. Martij 1611., à Gregorio XV. *Ex in-*

juncto nobis = 23. Septembris 1622., & ab Urbano VIII. =
In Cathedra = 5. Novembris 1626., quæ omnes Constitutiones per extensum referuntur *apud Gubernatis tom. 2. p. 355. 407. 416. & 418.* Constat denique præfatas Constitutiones Apostolicas in Consiliis Regiis, & in Galliarum Parliamentis acceptatas fuisse; earumque omnimodam executionem, etiam instante universo Regni Clero, à Regibus nostris demandatam. *Sum. num. 4.*

3. Est autem inconcussum, & ab omnibus usum Gallicorum tantisper gnaris notissimum, omnes ordinationes, omnia decreta pro negotiis Ecclesiasticis de foris advenientia, etiam Constitutiones Apostolicas, quæ ad disciplinam, & regimen externum pertinent, debere diplomate Regio communiri, & Supremi Senatus tabulis prius inscribi, quam vim aliquam, aut executionem in Regno consequantur. Eæ verò Constitutiones quæ sub hac forma receptæ sunt, induunt rationem legis, & quodammodo juris publici, cui per subsequentes derogari non potest, nisi cum eisdem Solemnitatibus admittantur; quod vix aut nunquam permittitur, ne usum veterum, quibus Regni jurisprudentia nititur, immutandorum ansa præbeatur. Quæ prænotanda hic fuerunt, ut ab ipso limine videat P. V. Reverendissima quanti sint ponderis in Francia præallatæ Constitutiones; quam stabilis sub earum fulcimento Recollectorum status; quam denique periculosum, aliquam in eorum regimine novitatem aut inducere, aut tolerare. Cætera quæ adjungi possent, respondendo rationibus à Reverendissimo Torre adductis, sparsim referentur.

4. Afferit igitur Reverendissimus Torre, præfatam Gregorij XIII. Bullam ad Recollectos Gallix extensam fuisse anno solummodo 1601., eo videlicet tempore, quo exemptio à jurisdictione Commissariorum familiæ sublata, & revocata fuerat à Clemente VIII. per aliud Breve = *Cupientes* = emanatum 2. Octobris 1600: ac per consequens Recollectos Gallix nullum umquam habuisse privilegium, quo à præfata Commissariorum jurisdictione eximerentur.

5. At miror hominem, ad Provincialatum, & Commissariatum in Curia Romana olim assumptum, nunc verò Generalem familiæ Commissarium, dictum Breve = *Cupientes* = vel non vidisse, vel visum non intellexisse. Celebra-

tum fuerat Capitulum Romanum die 20. Maij anni 1600.; & in Ministrum Generalem electus Reverendissimus P. Franciscus à Sofa, qui per aliquot menses, conformiter ad Bullam Gregorij XIII., Reformatos gubernavit; cum autem è familia discessurus esset, Clemens VIII. de pietate, prudentia, & zelo Reverendissimi P. Francisci Maculini Commissarij Generalis Familiæ certior factus, decrevit ut, durante ipsius officio, ac absentia Ministri Generalis, eisdem Reformatos vice, ac loco Ministri Generalis gubernaret. *Summ. num. 5.* Observet Reverendissimus Torre illa cubitalia verba: *durante officio tuo: durante absentia Ministri Generalis: vice, ac loco ipsius:* & videat utrum indicent, Reformatos in futurum subiici debere Commissariis Generalibus Familiæ. Si ita fuisset, cur anno 1615. Paulus V. aliud simile Breve, favore Reverendissimi P. Evangelistæ de Gabiano Familiæ Commissarij iterum dedit? Constat igitur apud omnes, leges Ordinis non ignorantes, jurisdictionem Commissariorum super Reformatos istius familiæ ortum habisse, non quidem à Clemente VIII., sed à concordato ab eisdem anno 1625. facto, sub approbatione Congregationis à Sancta Sede deputatæ; prout refert *Gubernatis tom. 2. p. 382.*; ac per consequens exemptionem à dicta jurisdictione, cum aliis omnibus in Bulla Gregorij contentis, ad Recollectos Galliæ anno 1601. concessam fuisse.

6. Ad ulteriora pergens Reverendissimus Torre, data, sed non concessa Recollectis nostris exemptione à jurisdictione Commissariorum familiæ, asserit quod dictæ exemptioni iidem ab antiquo tempore cesserunt, ut constat (aliis omisis) ex statutis Segoviensibus anno 1621. cap. 7., & ex Vallesolletanis anno 1670. tit. pro Natione Gallica num. 4. ubi ita statutum = *Quoniam omnes Galliarum Provinciæ tam confederatæ, seu majores, quàm Observantium, & Recollectorum in præsentì Capitulo declararunt etiam scripto se admittere, velut suum legitimum Prælatum, Commissarium Generalem Cismontanæ Familiæ secundum Bullam Unionis electum; propterea dictis Provinciis confederatis cum effectu datus est unus diffinitor Generalis juxta Statuta Generalia Barchinonensia, aliis observantibus, & tertius Recollectis.*

7. Si Segoviensia Statuta vidisset Reverendissimus Torre,

A 3,

re,

re, illa sine dubio, cum *aliis omiſſis*, ſub ſilentio reliquiſſet. Tempore enim quo facta fuerunt, anno videlicet 1621., tres habebamus Provincias, S. Bernardini, S. Dionyſij, & Immaculatæ Conceptionis nuncupatas, ac cuſtodiam S. Antoni in delphinatu, de quibus nulla omninò habetur mentio in eiſdem ſtatutis, loco à Reverendiſſimo Torre citato; *Summ. num. 6.* ubi per quatuor Reformatorum Provincias, ibidem nominatim expreſſas, non intelliguntur noſtrorum Recol-lectorum Provinciæ, ſed Provinciæ Majores, quas aliquando confederatas vocant; quid autem commune Gallix Recol-lectis cum dictis Provinciis confæderatis? Jus noſtrum habendi diffinitorum generalem, ſtatutis Segoviienſibus nullo modo innititur, nec eſt conditionatum, ſed eſt abſolutum, ac fundatum in Statutis Romanis anni 1625. ab Urbano VIII. in forma ſpecifica approbatis, & confirmatis: *Summ. num. 7.* in quibus nulla facta mentione, prout nec fieri poterat, ſubjectionis ad Commiſſarios familiæ, conſeſſus eſt nobis Diffinitor Generalis; & ab eo tempore, uſque ad annum. 1670. novem ſucceſſive, in variis Capitulis & Congregationibus Generalibus inconcuſſe, & inalterabiliter habuimus Diffinitores Generales; *ut videri poteſt apud Julium à Venetiis.*

8. Transiſtum nunc facientes ad Statuta Valliſolletana anni 1670. ex adverſo nobis oppoſita; non ignorat P. V. Reverendiſſima, paucos ex noſtris vocalibus ad dictum Generale Capitulum perrexiffe; imò & aliquos ad illud non fuiſſe citatos; unde pro parte Provinciæ noſtræ S. Dyoniſij facta fuit Valliſolleti appellatio ad Sanctam Sedem, & pro-teſtatio nullitatis eorum omnium, quæ in eodem Capitulo Generali fieri potuiſſent in præjudicium *noſtræ Recollectionis*, & ejuſdem Provinciæ; *Summ. num. 8.* cur autem dicta pro-teſtatio in actibus ejuſdem Capituli Generalis non reperia-tur; quilibet facile agnoſcere poteſt. Cumque ad notitiam Provinciarum noſtrarum perveniſſet, paucos noſtros voca-les ab Hiſpanis deluſorie inductos fuiſſe, ad recognoſcen-dam juridiſctionem Commiſſarij Generalis Familiæ; emana-vit decretum Regium die 18. Julij ejuſdem anni 1670., quo Sua Majeſtas præcipiebat R. P. Hyacintho le Feure Provin-ciæ S. Dyoniſij Vicario Provinciali, ut ad Sanctam Sedem pro annullatione præfati Statuti Valliſolletani recurſum fa-

ce-

cēret, & interim nihil in universo Regno, quoad gubernium Recollectorum innovaretur. *Ibidem litt. A.* Cumque postea Reverendissimus Rhini de Politio nostris promississet Provinciis dictum statutum executioni demandandum nullimode fore, nihil aliud actum est.

9. Dixi *delusorie* inductos fuisse nostros Vocales, ad recognoscendam Commissarij familiæ auctoritatem; cum enim à quadraginta & amplius annis Diffinitorem Generalem semper haberemus, vi Statutorum generalium anni 1625. à Sancta Sede confirmatorum; quid ad nos, quæso, quod alius multiplicaretur Diffinitor Generalis pro Observantibus Gallia? Octo adsunt in Gallia Observantium Provinciae; duos habent Diffinitores Generales. Decem habemus nos Provincias, & unicum Diffinitorem Generalem. Illum tunc temporis habebamus à quadraginta, & amplius annis, auctoritate tum Ordinis, tum Sanctæ Sedis; & in hoc statuto Vallisoletano refertur, dari Recollectis unum diffinitorem Generalem, cum onere tamen recognoscendi Commissarium Familiæ. At in rei veritate, & de facto novus datus est Diffinitor Generalis observantibus Gallia, & nobis nil aliud concedebatur, nisi jugum novum, & Patribus nostris incognitum. Deinde nostra à Commissario Familiæ independentia oriebatur à Constitutionibus Apostolicis pluries à Sancta Sede confirmatis & innovatis, cum expressa prohibitione ipsismet Capitulis Generalibus facta, quodcumque in contrarium sub poena nullitatis determinandi vel agendi; oriebatur à Decretis Regiis, dictarum Constitutionum executionem per universum Regnum præcipientibus; à praxi continua septuaginta & amplius annorum; tandem à statutis Municipalibus Congregationis Nationalis anno 1640. à Gallia Recollectis celebratæ: Quotiescumque igitur ad illam destruendam, anniquilandamque non accedebat omnium Provinciarum consensus; non accedebat Sanctæ Sedis approbatio, cum expressa memoratarum Constitutionum revocatione, & talium novitatum in Regio Consilio, & in Parlamento nostris placetatione; justissime ac Sapientissime præcepit Rex, ac Regia sua auctoritate mandavit, ut nihil in Regno innovaretur, usque dum saltem Sancta Sedes locuta fuisset.

10. Videtur tamen quod favore Recollectorum locuta fuerit, dùm Clemens X. *Summ. num. 9.* ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis die 26. Novembris ejusdem anni 1670. per suum Breve = *Sacrofancti Apostolatus* = confirmavit decretum Capituli Generalis Vallisoletani pro multiplicatione Diffinitorum Generalium editum, absque ulla mentione prætensæ, ac fictitiæ nostræ à Commissario Generali dependentiæ; imò & absque expressione quod Observantibus Galliæ novus assignari deberet Generalis Diffinitor, Recollectis exclusis = *Unum, scilicet, pro Excalceatis Hispaniæ: Alium pro Gallia: Tertium pro Lusitania, ejusque Provinciis: Et Quartum pro Provinciis Tertij Ordinis tam Galliæ, quàm Hispaniæ, & Lusitaniæ, servata inter ipsas alternativa quoad hujusmodi Diffinitorem Generalem; ea tamen lege, quod vocales Tertij Ordinis Nationis Gallicanæ ad Comitata Generalia deinceps accedant* = Hæc sunt, quæ approbavit, & confirmavit Summus Pontifex, unum, scilicet, Diffinitorem Generalem addendum pro Gallia, & unum pro Lusitania; unde sicuti in Lusitania promiscue iste datur tùm Observantibus, tùm Discalceatis; cur etiam, juxta Pontificis mentem, alium pro Gallia additum non debeant aliquando habere Recollecti, percipere vix possum; præsertim cum in numero Provinciarum Observantibus sint Superiores, & in observatione Regulæ iisdem non sint inferiores. Confirmavit etiam Summus Pontifex conditionem sub qua Diffinitor Generalis concedebatur vocalibus Tertij Ordinis Nationis nostræ: *Ea tamen lege, quod vocales Tertij Ordinis Nationis Gallicanæ ad Comitata Generalia deinceps accedant* = at nec verbum quidem fecit de chimærica illa conditione nulliter, ac reclamantibus omnibus legibus, ad beneplacitum quorundam Observantium Hispaniæ nobis imposita.

11. Ut autem magis, ac magis appareat quibus oculis ista conditio, etiam relatè ad Observantes Galliæ, ab universo Ordine hodie aspiciatur; supervacanèum non erit observare, in Capitulis, vel Congregationibus Generalibus Mantuæ 1541. Salmanticæ 1553. Vallisoleti 1593. Segoviæ 1621. & Vallisoleti 1670. renovatum semper fuisse statutum, quo declaratur dictis Patribus Observantibus concedi Diffinitorem Generalem, ex eo quod declaraverint se pro suo legiti-

timo Superiore admittere Generalem familiæ Commissarium; quem tamen nunquam agnoscere voluerunt; cumque in ultimo Capitulo Generali Typis mandata fuisset Scriptura nomine Magnæ Aquitaniæ Provinciæ, & vocalibus præsentata in qua conquerebatur eadem Provincia *se solam* in Gallia agnoscere jurisdictionem Commissarij Generalis Familiæ, & tamen præmio tali obedientiæ promisso, Diffinitoratu videlicet Generali, spoliata esse à *septem supra centum annis*; & remuneratas semper fuisse alias Provincias, quæ de independentia sua à dicto Commissario Generali ubique gloriantur. Hanc sprevit rationem Capitulum Generale, sicuti & alias in eodem supplici libello expositas, & in Diffinitorem Generalem electus fuit R. A. P. Pontchateau Provinciæ Turoniæ, unius videlicet ex iis Provinciis, quæ Commissarium Familiæ pro Superiore nunquam agnoverunt. Imò putarunt Galliæ vocales, Diffinitoratu Generali Nationi debito indignam esse illam Aquitaniæ Provinciam, quæ contra Regni leges ac consuetudinem, alium à Successore S. Francisci agnoscebat Superiorem.

12. Postquam leges sibi, suæque prætensæ jurisdictioni faventes ostendere, sed frustra, conatus est Reverendissimus Torre, confidenter asserit nostras Recollectorum Provincias ab anno saltem 1670. ab omnibus Commissariis Generalibus suis Prædecessoribus gubernatas fuisse. Falsitatem verò hujus propositionis, breviter, sed evidenter, ut spero, P. V. Reverendissimæ nunc ostendo.

13. Ab anno 1670. usque ad præsens, quinquies tantum Commissarios Familiæ in Hispania habuimus; tempore Reverendissimorum Rhini de Politio, Petri Sormani, Bonaventuræ Poerij, Laurentij à Sancto Laurentio & Paretæ; ac tandem ab eo tempore quo Ordini præest Reverendissima P. V.; jam vidimus anno 1670. Regem prohibuisse ne ulla fieret in Gallia mutatio occasione Statuti Vallisoletani, de quo actum est, & à Reverendissimo Rhini nostras gubernatas fuisse Provincias.

14. Tempore Reverendissimi Sormani, anno, scilicet 1686. Typis in Gallia edita, & promulgata fuerunt statuta municipalia pro Recollectis nostris, in quibus expresse legitur eas, vi Bullæ Clementis VIII. nullo modo recog-
nos-

noscere Commissarium Familiæ, sed solummodo Reverendissimum Ministrum Generalem. *Summ. num. 10.* Similiter, Ordinem gubernante Reverendissimo Poerio, anno 1698. Typis edita fuerunt similia Statuta, quorum omnimoda executio anno præcedenti à supremo Regis consilio demandata fuerat; *Ibidem litt. A. & B.* & in quibus nostra à Commissariis Generalibus independentia expressa reperitur. Quis autem persuadere sibi poterit, etiamsi aliæ deficerent probationes, Recollectos Galliæ, eodem præcisè tempore quo Rex prohibebat ne agnoscerentur Commissarii Familiæ, vel eodem anno quo talia promulgabantur Statuta, à Commissariis Generalibus actualiter gubernatos fuisse? Quis poterit credere, litteras Patentales Commissariorum Familiæ, si quas misissent, à Parliamentis placetatas fuisse, eo præcisè tempore, quo eadem Parliamenta independentiam ab iisdem Commissariis præcipiebant? Qui talia somniaret, ignarum certè se ostenderet usum ac praxis nostrorum Tribunalium.

15. Anno 1723. cum spatio viginti trium annorum Ordini præfuissent Ministri Generales Hispani, in Commissarium Generalem electus fuit Reverendissimus Soto, qui statim circulares transmisit litteras Provinciis nostris, quibus de Capituli Generalis celebratione, ac de sua in Commissarium Generalem electione certiores eas faciebat. Non ignorat P. V. Reverendissima quid tunc evenerit. Recursum fecerunt omnes Provinciæ tùm Regi, tùm & Reverendissimo Laurentio. Suam à Commissariis Generalibus probaverunt independentiam per Constitutiones Apostolicas, per Decreta Regia, & per inconcussam, ac nunquam interruptam à principio nostræ Recollectionis usque tunc temporis consuetudinem. Cathalogum præsentaverunt Visitatorum ab omnibus Generalibus Italis, nemine excepto, super Provincias nostras Deputatorum, nec tandem quieverunt donec certæ omninò fuerint, Reverendissimum Laurentium à Sancto Laurentio eas gubernaturum fore; sicuti reipsa fecit, & post ipsum Reverendissimus Pater à Pareta. Hæc autem continua praxis iterum corroborari potest ex variis litteris Patentibus, supplicibus libellis & aliis scripturis quæ in Archivis tùm Aracelitano, tùm SS. 40. Martyrum reperiuntur;

tur; *Summ. num. 11.* quæque invicte demonstrant, nostras Provincias ab anno 1670. usque nunc à Ministris Generalibus semper fuisse gubernatas; tantaque fuit semper unanimis Provinciarum nostrarum, in hac tuenda prærogativa, constantia, & attentio, ut, cum Reverendissimus ab Ebo-
ra in quadam causa inter ipsum, & A. R. P. Procuratorem nostrum Generalem vertente, contrarium asseruisset, statim omnes reclamarunt, & attestations ad hanc Curiam pro rei veritate transmiserunt. *Summ. num. 12.*

16. Celebrato verò ultimo Capitulo Generali anno 1740., certissimum est & innegabile, omnes Recollectorum Galliæ Provincias à P. V. Reverendissima, nulla excepta, gubernatas fuisse, & actualiter gubernari, sicuti & quatuor Tertij Ordinis Provincias, & fere omnes Observantium tam majores, seu confæderatas, quàm minores. Unde cum Reverendissimus Torre spretis Constitutionibus Apostolicis, Decretis Regiis, Statutis Nationalibus, & municipalibus Provinciarum, ac praxi continua nec interrupta, jurisdictionem suam super illas exercere tentaverit; non mirum si unanimes ad V. Reverendissimam P. pro oportuno remedio recurrant; non enim una, vel alia tantummodo Provincia contra talem novitatem insurgit; sed omnes Provinciales, omnesque Patres decem Provinciarum Recollectorum in Gallia existentium justitiam P. V. Reverendissimæ implorant, testantes suas Provincias nunquam à primævis suis respectivè erectionibus subjacuisse jurisdictioni Commissariorum Familiæ, nec eos pro Superioribus agnovisse. *Summ. num. 13.*
Definat igitur Reverendissimus Torre nostram Familiam ultramontanam huic cismontanæ comparare in iis quæ ad gubernium spectant; ex tribus enim Nationibus quibus nostra componitur; Germano-Belgica nihil omninò cum Commissario Familiæ tractandum habet, cum à suo Commissario Nationali gubernetur qui immediatè P. V. Reverendissimæ subiicitur. Natio nostra, ut jam probatum est, Ministris Generalibus immediatè subiici semper gloriata est; & tandem ex Natione Hispanica, septemdecim adsunt in Indiis Provinciæ, quæ pariter jurisdictionem Commissarij Familiæ in nullo agnoscunt. Unde si spectaremus Provincias ipsius curæ commissas, potius Commissarius mediæ Nationis

tionis nuncupandus foret, quam Commissarius Generalis Familiae.

17. Displicet Reverendissimo Torre, quod ad Curiam Parisiensem recursum fecerim, pro impedienda executione dispensationis ab ipso missae Provinciae S. Bernardini, ad effectum celebrandi Congregationem; additque, Patres plurimum Provinciarum tam Recollectorum, quam Observantium valde conqueri de tali recurso, de turbatione Provinciae, & aliis quae omittit.

18. Qui sint isti Patres innominati qui Matritum recurrunt contra me, dum sum Romae; qui apud Reverendissimum Torre me accusant, & apud legitimum meum Superiorem tacent, prorsus ignoro. Hoc unum scio, eos omnes Patres, quorum Cathalogus in Summario mox citato refertur, & cum eis varios alios, pluribus litteris, P. V. Reverendissimae, cum sibi placuerit, ostendendis, gratias mihi reddere, & quidem ampliissimas, de zelo meo, ut dicunt, in tuendis Recollectorum juribus, contra Reverendissimi Torre attentata, quae à quibusdam vocantur *audacia*, ab aliis *temeraria*, ab aliis *facta ab homine leges ignorante*, vel *illas pro arbitrio conculcante*. Alij postulunt quod dictus Reverendissimus puniatur veluti *Jurisdictionis sibi indebitae usurpator*, & *provinciarum nostrarum perturbator*; & quod una cum illo debitas luant poenas pauci illi Religiosi, qui ad illum recurrere ausi fuerunt; & de facto sua Majestas aliquos jam ex principalioribus extra Provinciam exulavit. Sed his omnibus praetermissis, recursum feci, fateor, ad Regem, ut litterae Reverendissimi Torre, ad Provinciam S. Bernardini transmissae executioni non mandarentur, & de tali recurso glorior, tantum abest quod me poeniteat.

19. A pluribus annis R. A. P. Ripert spretis & conculcatis legibus dictam Provinciam pro sui arbitrio, & nutu regebat. Dico: A pluribus annis, & testis est bo. mem. Reverendissimus Soto, qui in epistola ad eum scripta 26. Aprilis 1733. ipsummet Patrem Ripert sic alloquebatur = *epistolam tuam accepimus, qua satis superque in omnibus callide te gerere, omnes leges violando, cognoscimus* = epistola originalis reperitur in Archivio Procurae nostrae, in quo etiam adsunt obedientiales litterae, quas idem Pater Ripert auctoritate pro-

propria dederat cuidam Recollecto Laico, à sex annis tunc Apostatae, & vagabundo, ut ad Terram Sanctam pergeret. Tres eodem fere tempore, auctoritate pariter propria, spoliaverat Religiosos, Sacerdotem unum, Clericum alium, & Laicum, ut quilibet Status violentiis ejus subjaceret; ipsos spoliaverat, non solum absque sententia, sed absque ullo processu, & nec interrogatos, nec auditos. Adest in hac Romana Curia Decretum Sacrae Congregationis ipsi præcipiens, ut dictos Religiosos iterum recipiat, & R. A. P. Procuratori nostro Generali injungens, ut Patrem Ripert *gravi-ter* admoneat. Vix Reverendissimus Torre in vice Commissarium electus fuit, quod dictus Pater litteras circulares electionem annuntiantes, in Provincia publicari curavit; quidam Guardiani obtemperarunt, sed major pars restitit, & me instante, re examinata in Provinciali Capitulo die 9. Septembris 1741. celebrato, ab omnibus vocalibus unanimiter declaratum est, non recipienda, multo minus publicanda esse Commissariorum Familiae mandata, qui Superiores nostri nec sunt, nec esse possunt, juxta Bullas Apostolicas, Decreta Regia, Statuta municipalia, & praxim continuam Provinciae. Quod quidem Decretum in ejusdem Provinciae regeftis fuit exaratum. Nihilominus elapso vix anno, Pater Ripert scripsit P. V. Reverendissimæ, dispensationem petens ad hoc, ut Congregatio intermedia anticiparetur; & repulsam jam fortè prævidens, recursum eodem tempore fecit Reverendissimo Torre pro eadem dispensatione. Eam negavit P. V. Reverendissima per suas litteras die 19. Novembris 1742. Neapoli datas; illam è contra concessit Reverendissimus Torre per alias 24. ejusdem mensis Matriti scriptas. Quis, Reverendissime Pater, in tali circumstantia recursum ad Regem non fecisset? Ego Diffinitor Generalis, ac primus Provinciae Pater videbam Reverendissimam P. V. modo irrisorio spretam, mandata ipsius delusa; decretum in Capitulo Provinciae ab anno factum, jam conculcatum; decretum, inquam, Constitutionibus Apostolicis, ac municipalibus, & decretis Regiis fundatum. Videbam Patrem Ripert duos Superiores immediatos habere volentem, unum Romæ, alterum Matriti, & pro sui arbitrio vel eorum nulli, vel cui magis placeret, obedire prætendentem.

Vi-

Videbam hominem, ut verbis Reverendissimi Soto ad eundem olim scriptis utar, *callide in omnibus se gerentem, omnesque leges violantem*. Recursum feci ad Regem, & remedium tot scandalis afferri curavi. Nec dolent Provinciæ de hoc meo recurſu, decipitur in hoc Reverendissimus Torre; dolent verò, & multum dolent de recurſu ab eodem Reverendissimo Torre ad Curiam Matritensem factò, ad hoc ut Congregatio Generalis à V. Reverendissima P. convocata non celebraretur; dolent de falsitatibus ad hunc finem Regi Hispaniarum expositis; dolent quod in alia circumſtantia, eadem Curia Matritensi scriptis aſſerere non erubuerit Reverendissimus Torre, Custodiam Terræ Sanctæ eſſe de jure Patronatu Hispaniarum Regis; de his & aliis monſtruositatibus dolent, quæ nonniſi ſchiſmata, & ſciſſiones in Ordine, & inter Nationes, ex quibus coaleſcit, producere valent.

20. In ſupplici libello, adverſus Reverendiſſimum Torre, P. V. Reverendiſſimæ præſentato, conqueſtus fueram, de litteris ab eodem datis quibuſdam Gallia Recollectis, ad hoc ut tranſitum facerent apud Patres Obſervantes; de his autem facultatibus loquens idem Reverendiſſimus; *neſcio*, inquit, *omniò, ingenue fateor, quid criminis in illis invenerit*. R. A. P. Graſſois.

21. Criminofum numquam dixi Reverendiſſimum Torre; cum tamen ſcire deſideret, quid criminis in litteris, de quibus agitur, invenerim, ad illud declarandum nunc propero. In Bulla Gregorij XIII. ad Recollectos noſtros à Clemente VIII. extenſa, quæ eſt baſis, & fundamentum gubernij Provinciæ Noſtrarum, prohibetur Recollectis, ſub pœna Apoſtaſiæ, ne à Recollectione diſcedant ſine ſpeciali Apoſtolica Sedis licentia. *Summ. num. 3. litt. A.* Prohibetur Miniſtro Generali, & quibuſcumque aliis, Recollectos extra Recollectionem amovere, extrahere, collocare, vel retinere; *Ibidem litt. C.* & hoc ſub pœna excommunicationis latæ Sententiæ, ipſo facto incurrendæ. *Ibidem litt. E.* cumque tempore Urbani VIII. aliqui in contrarium agere præſumpſiſſent, ſub prætextu cujuſdam concordia inter Obſervantes, & Recollectos factæ, & à Sancta Sede confirmatæ, & ulterius prætenderent poſt erectionem cuſtodiarum

no-

nostrarum in Provincias factam, Recollectos non amplius gaudere privilegiis à Gregorio XIII. & Clemente VIII. nostris Custodiis concessis; recursum ad eundem Summum Pontificem facto, & re examinata, ac discussa in Sacra Congregatione, emanavit sub die 5. Novembris 1626. constitutio. Incip. = *In Cathedra Principis Apostolorum* =, in qua idem Pontifex, non obstantibus concordia prædicta, ac erectione custodiarum in Provincias, litteris Gregorij XIII. & Clementis VIII. inhærendo, auctoritate Apostolica decrevit ac declaravit, tam Recollectos professos, quàm Observantes apud eosdem Recollectos semel incorporatos, nullo unquam tempore transire posse ad Observantes, nec licere Provincialibus Observantibus quemquam illorum absque Sedis Apostolicæ beneplacito redeuntem, aut transeuntem recipere; & qui aliàs redierint, aut transierint, etiamsi de Superiorum suorum Regularium licentia hoc fecerint, tamquam sui Ordinis desertores, atque Apostatas esse puniendos, & recipientes, poenam privationis Officiorum ipso facto incurere. *Summ. num. 14.*; & consequenter ad has Apostolicas Constitutiones, varia emanarunt Regis decreta, quibus suis Ministris præcipit, ut auxilium nobis præbeant ad incarcerandos omnes Recollectos, qui sive cum obedientia Superiorum Generalium, sive sine illa, inter Patres Observantes, Invito Diffinitorio suæ Recollectæ Provinciæ, remanere prætendunt.

22. In compilatione Statutorum de mandato Reverendissimi Patris de Soto Matriti anno 1734. typis data habetur; quod nostræ Recollectorum Provinciæ gubernari debeant juxta Constitutiones Apostolicas pro ipsis editas à Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. & aliis Summis Pontificibus, necnon & per sua propria nationalia, & municipalia Statuta; si igitur easdem Provincias gubernare volebat Reverendissimus Torre, leges illas tum Apostolicas, tum nationales, ac municipales prius legere, prius examinare debeant; sicque non incidisset in excommunicationem majorem, & in alias poenas à dictis legibus contra ipsarum transgressores latas. Debebat Provinciarum consuetudines inquirere, & invenisset, quod si sui Prædecessores aliquid attentare contra nostra Jura aliquando præsump-

se-

serunt ; vel clandestine hoc fecerunt , vel mandata ipsorum irrita , & inania remanserunt , sive mediante recurſu ad Summos Pontifices , ad Reges , aut ad Ministros Generales Ordinis ; sive per expreſſum contemptum , quo ipsa receperunt Provinciales Gallia. Sic scribunt hodie omnes Gallia Provinciales , quod non solum executioni nil mandarunt de iis quae praecipiebat Reverendissimus Torre , sed nec ad ipsum ullum dederunt responſum. Sic etiam eum sprexit R. A. P. Commissarius Nationalis Germano-Belgicus , cui quaedam litteras publicandas in Natione transmiserat , quique nullum ei responſum facere dignatus est ; prout testari poterit P. Agens ejusdem nationis in hac Romana Curia existens.

23. Attento igitur tenore Constitutionum Apostolicarum toties confirmatarum , quae ubique clamant nostram à Commissariis Familiae independentiam : Attentis Decretis Regiis , ac Parliamentorum , quae executionem ipsarum praecipiunt : Attentis Statutis Nationalibus , & Municipalibus Provinciarum ab iisdem etiam Regiis Decretis confirmatis ; consuetudine & praxi perpetua semper , & ubique à nostris Patribus contestata , & probata ; ac tandem compilatione Statutorum noviter à Patribus hispanis facta , & de mandato Reverendissimi Soto publicata , in qua expresse asseritur , Provincias Recollectorum Galliae gubernari debere juxta allatas Constitutiones Apostolicas , & Nationalia , & Municipalia Statuta ; Dignetur P. V. Reverendissima nullum , & irritum declarare quidquid usque nunc in contrarium fecit Reverendissimus Torre : Eidem & Successoribus ipsius prohibere sub poenis in dictis Bullis contentis , ipso facto incurrendis , ne ullum jurisdictionis actum super Recollectos , eorumque Provincias exercere audeant , ac praesumant ; & similiter Recollectis Galliae , sub eisdem poenis , ne ad eisdem recurrant.

Et pro gratia , &c.

Fr. Marcus Antonius Gravois Diffinitor Generalis , &
P. V. Reverendissimae humillimus Subditus , & Filius.



BEATISSIME PATER.



RO parte decem Provinciarum Recol-
lectorum Ordinis Sancti Francisci in
Gallia existentium Sanctitati Vestrae
humillimè repræsentatur, qualiter in-
ter alia pro foelici, ac prospero ipso-
rum gubernio à Clemente VIII. in
sua Constitutione = *Pro injuncti no-*
bis = sub die 26. Martij 1601. dispo-
sita, unum fuit, quod iidem à solo Ministro Generali Ordini-
nis, nullo autem modo ab aliis Superioribus, sive Commis-
sariis de Observantia gubernarentur, & hoc cum Decreto, &
clausula irritante, cum expressa derogatione Bullæ Leonis X.
Unionis nuncupatæ, sub poenis excommunicationis latæ Sen-
tentia ipso facto incurrendæ ab omnibus, qui aliquid in con-
trarium attentarent, & sublata facultate tam generalibus
Ordinis Capitulis, quàm quibuscumque aliis Tribunalibus
aliquid in contrarium peragendi: Et licet Commissarij Ge-
nerales Ultramontanæ Familiæ, vi præfatæ Bullæ *Unionis*
electi, suam aliquando Jurisdictionem super præfatos Re-
collectos extendere tentaverint, nunquàm tamen illud con-
sequi potuerunt; imò cùm in Capitulo generali anno 1670.
Vallisoleti celebrato Vocales Recollecti inducti fuissent ad
declarandum in scriptis, se in legitimos Superiores admit-
tere dictos generales Commissarios pro tempore existentes,
audita in Provinciis tali declaratione, unanimiter ab omni-
bus, ut nulliter, & attentatè extorta, & facta, fuit rejecta;
& quædam patentes litteræ, vigore illius, à Commissario Fa-
miliæ tunc electo expeditæ, absque ulla nec executione, nec
publicatione in Gallia remanserunt, & ab eo tempore usque
ad præsens dictæ Recollectorum Provinciæ à solis Ministris
Generalibus inconcussè, & inalterabiliter fuerunt governa-
tæ. Cum autem, his non obstantibus, Pater Joannes de la
Torre modernus Familiæ Ultramontanæ Commissarius va-
rios jurisdictionis actus super dictos Recollectos, non sine
mag-

A

magna eorundem perturbatione, & inquietitudine, exercere tentasset; Superiores dictarum decem Provinciarum unanimiter apud Ministrum generalem Ordinis recursum habuerunt ad hoc, ut prohiberet eidem Patri de la Torre, aliisque Familiæ Ultramontanæ Commissariis generalibus pro tempore existentibus, ne eosdem Galliæ Recollectos, eorumque Provincias perturbare audeant, ullumque jurisdictionis actum super illos exercere, sub pœnis in memorata Clementis VIII. Constitutione contentis; Causaque coram eodem Patre Generali spatio duorum annorum agitata, & pluriès discussis Partium rationibus, ac habito in scriptis Voto Patris Procuratoris Generalis totius Ordinis: Patris de Molina Provinciæ Discalceatorum Valentia in Hispania primi Patris, & eorundem Procuratoris Generalis: Ac Patris Vincentii Antonii de Caprarola Observantis Provinciæ Romanæ Ex-Provincialis, & totius Ordinis Diffinitoris Generalis, qui omnes unanimiter declararunt, & fuerunt in voto, constare de bono Jure Recollectorum; Sperabant iidem Recollecti Sententiam tandem decisivam obtinere; Sed Pater Generalis, quibusdam præpeditis scrupulis, sequens tantum protulit Decretum, videlicet.

Fr. Raphael à Lugagnano, &c.

„ Cum Pater Frater Joannes de la Torre Commissarius Generalis Familiæ Ultramontanæ quosdam actus jurisdictionales exercuisset super Recollectos Galliæ, illicò reclamarunt iidem coram bon. mem. Patre Fr. Cajetano à Laurino Prædecessore nostro, prætendentes, se vigore variarum Constitutionum Apostolicarum, Statutorum suorum municipalium, & consuetudinis immemorabilis, dictis Familiæ Commissariis nullimodè subjacere, sed solummodò Ministris Generalibus Ordinis pro tempore existentibus, ac instituerunt, ut eidem Patri Joanni de la Torre, ac aliis Familiæ Ultramontanæ Commissariis Generalibus pro tempore existentibus prohiberet, ne similes actus in posterum exercere auderent. Admisso, ac recepto recurso, ipsum Patri de la Torre transmisit idem Prædecessor noster, mandans, ut super eo sua deduceret jura, prout fecit sub die 17.

„ No-

„ Novembris anni 1743. ; Cumque exindè Patres Recollecti
 „ eidem Patri Cajetano à Laurino Scripturam cum Summa-
 „ rio Typis Impressam exhibuissent, in qua ipsorum confir-
 „ mabatur totalis à Commissariis Generalibus Familiæ inde-
 „ pendentia, hæc quoque Patri Commissario de la Torre re-
 „ missa fuit, qui respondens sub die 17. Februarij anni 1744.
 „ varia deduxit ad propugnandam prætensam suam jurif-
 „ dictionem, eisque deductis, judicio ejusdem nostri Præde-
 „ cessoris se libentissimè submitit, ut legitur in ipsius Patris
 „ Commissarij Epistola, ibi = Hæc sunt, Reverendissime Pa-
 „ ter, quæ mihi pro nunc occurrerunt zelo, prudentiæ, ac
 „ æquitati V. P. Reverendissimæ proponenda ad satisfaciendum
 „ objectis à R. A. P. Gravois, *vestræ æquitatis erit judicium*
 „ *ferre, meum in omnibus obedire* = „ E vivis sublato memora-
 „ to nostro Prædecessore, iterùm apud nos institerunt Pa-
 „ tres Recollecti pro ultima litis decisione; Unde die prima
 „ Octobris anni mox elapsi omnes Discretorij generalis Pa-
 „ tres in Urbe existentes congregavimus, & consilio super præ-
 „ fata Causa cum ipsis habito, Decretum edidimus, quo Pa-
 „ tri Commissario de la Torre præcepimus, ut infra termi-
 „ num sex mensium sua jura legitimè ulteriùs deduceret, pro-
 „ hibentes eidem, ne ullum jurisdictionis actum super Re-
 „ collectos Galliæ exerceret usque ad finalem causæ decisio-
 „ nem; quod quidem provisionale decretum admisit idem
 „ Pater, eique, ut par erat, obtemperavit. Cumque sua jura,
 „ pro tertia vice, nobis præsentari curasset, ac pro decisio-
 „ ne litis instantiam iterùm renovassent Galliæ Recollecti,
 „ votum in scriptis exquisivimus quatuor Ordinis nostri Pa-
 „ trum, quorum tres absolutè censuerunt dictos, Recollectos
 „ in omnibus, & per omnia immediatè subesse Ministro Ge-
 „ nerali Ordinis, nullamque super eos Commissariis Genera-
 „ libus Familiæ competere jurisdictionem; quartus verò in
 „ voto fuit, nos non posse causam decidere, eo, inter alia,
 „ ductus motivo, quod ageretur de nostra jurisdictione, quod-
 „ que nemo potest in propria causa esse judex, neque judi-
 „ care, an sua sit jurisdictio. Omnibus autem attentè, &
 „ maturè per nosmetipsos discussis, & examinatis; Cogni-
 „ to ad evidentiam, jus omne pro Recollectis Galliæ stare;
 „ Perpenso insuper, quod discordias, & lites inter Religio-

„ sos nostræ curæ commissos non sine religiosæ pacis, &
„ paupertatis Franciscanæ præjudicio exortas extinguere, ac
„ terminare nostri esset muneris, & officij, quodque de no-
„ stra jurisdictione dubitandum nobis non esset, præsertim
„ cum à duobus annis à Partibus collitigantibus semper
„ recognita fuisset, & pro legitima admissa, determinavimus
„ Sententiam pronuntiare, & negotium spatio duorum, &
„ ultrà annorum ad nauseam usque discussum, & exami-
„ natum terminare. Sed ex improvise coram nobis stetit P.
„ Joannes Franciscus de Iduri in hac Romana Curia Com-
„ missarius Generalis, protestans de nullitate judicij, casu
„ quo ad dictam Sententiam deveniremus. Quarè consilium,
„ & votum pro veritate in scriptis exquisivimus ab Illustrissi-
„ mo D. Hieronymo Tozzio Sacri Consistorij Advocato, cu-
„ jus mens, & resolutio fuit, nos in hac Causa judicare
„ posse, & protestationem à Patre de Iduri, ut suprà, factam,
„ nimis ferotinam esse, ac in nihilo prorsus attendendam;
„ Tùm quia Pater Commissarius Torre spatio duorum anno-
„ rum factis, & scriptis in jurisdictionem nostram, & nostri
„ prædecessoris consensit, præsertim in Epistola supra relata;
„ tum etiam quia Pater Iduri Protestans eandem jurisdic-
„ tionem ut legitimam pluriès agnovit, sive dùm jura à Patre
„ Torre sibi transmissa nobis præsentavit: Sive dùm Decre-
„ tum provisionale die prima Octobris emanatum ipsemet, ut
„ Commissarius in Curia Romana, subscripsit. Quia tamen
„ idem D. Advocatus Tozzius ulteriùs fuit in voto, nos non
„ teneri ad Causam definiendam, sed posse, imò debere ex lege
„ decentiæ, & honestatis nostra jurisdictione non uti, & Cau-
„ sam ad aliud Tribunal remittere; ideò Causam hanc defi-
„ niendam remittimus ad ipsam Sanctitatem Suam, de cujus
„ ergà Ordinem nostrum benignitate speramus, quod ip-
„ sam auctoritate sua Apostolica terminare non dedignavetur.
„ Datum in hoc Conventu Sanctæ Mariæ de Aracœli die 23.
„ Augusti 1745.

„ Fr. Raphael à Lugagnano Minister Generalis.

Attentis igitur omnibus supra expositis, ac præsertim
quod Pater Generalis in præsentì decreto testatur, se ad evi-
dentiàm agnovisse, jus stare pro Oratoribus, seque, post
examen causæ ad nauseam usque factum, paratum & promp-

tum

tum fuisse ad pronunciandum favore Oratorum, sed postea ob merum scrupulum à ferenda sententia abstinuisse; attento voto trium ex principalioribus Ordinis Patribus idem unanimiter sentientium, quorum duo sunt Observantes Italiæ, & alius Hispaniarum Discalceatus; attento tandem, quod jus Oratorum fundatur super citatam Bullam Clementis VIII. à variis Pontificibus confirmatam, super omnia Recollectorum Galliæ statuta municipalia, & super praxim ab immemorabili tempore numquam interruptam, prout notoriè agnoverunt tùm Pater Generalis, tùm memorati Ordinis Patres, Sanctitatem Vestram humillimè supplicant Oratores, ut per litteras in forma Brevis declarare dignetur, dictas Recollectorum Provincias in Gallia existentes soli Ministro Generali Ordinis esse subjectas, & nullimodè Commissariis Generalibus Familiæ Ultramontanæ, ac proinde sub pœnis in memorata Clementis VIII. Constitutione contentis, Patri Joanni de la Torre, ac aliis pro tempore existentibus Familiæ Commissariis prohibere, ne ullo modo præfatas Provincias, earumque Religiosos perturbare, & inquietare audeant, ac ullum, vel minimum jurisdictionis actum super eas, vel eos exercere; & similiter Recollectis inhibere, ne ad dictos Commissarios recursum habeant, aut ipsorum mandatis obediant.

Et Deus, &c.

RESCRIPTUM SANCTISSIMI.

Al Padre Generale, che col Definitorio termini la presente controversia. 11. Settembre 1745.

BENEDETTO PP. XIV.

DECRETUM.

IN Nomine Domini, Amen = Cum Sanctissimus per suum Rescriptum propria manu exaratum die 11. currentis Septembris nobis infraSCRIPTIS præcipere dignatus sit, ut controversiam jurisdictionalem inter Reverendissimum Patrem Torre Commissarium Generalem Ultramontanæ Familiæ, & Provincias Recollectorum Galliæ vertentem terminemus; In unum congregati, visis omnibus videndis, ac plu-

pluriès examinatis rationibus hinc indè deductis, Deum
solum præ oculis habentes, unanimiter, ac concorditer om-
nes, & singuli declaravimus, decrevimus, ac pronunciavi-
mus, prout per præsentès declaramus, decernimus, & pro-
nunciamus, Provincias Recollectorum Gallia solius Ministri
Generalis totius Ordinis pro tempore existentis, nullimo-
dè autem Commissariorum Generalium Ultramontanæ Fa-
milie jurisdictioni subesse, & subjacere; ac proindè sub pœ-
nis contentis in Constitutionibus Gregorij XIII., & Clemen-
tis VIII. super his emanatis tam Reverendissimo P. de la Tor-
re, quàm aliis Ultramontanæ Familie Commissariis Genera-
libus pro tempore extituri inhibemus, ne super easdem
Provincias, ipsarumque Religiosos ullum jurisdictionis actum
exercere audeant; prohibentes pariter jisdem Recollectis sub
memoratis pœnis ne ad præfatos Commissarios recursum
habeant, vel ipsorum mandatis obediant. Datum Romæ
in Conventu de Ara-Cœli die 20. Septembris 1745.

Fr. Raphael à Lugagnano Minister Generalis.

Fr. Benedictus Maria de Florentia Procurator Generalis
Ordinis.

Fr. Joannes Franciscus Iduri Commissarius Generalis Curia.

Fr. Alexius à Roma Procurator Generalis Reformatorum.

Fr. Petrus Joannetius de Molina Procurator Generalis Dis-
calceatorum, & Recollectorum.

Fr. Vincentius Antonius de Caprarola Definitor Gene-
ralis.

Fr. Joseph Maria de Fano Definitor Generalis.

Loco ✠ sigilli.